



70  
52

2. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS  
*de*  
**FERMENTATIONIBUS  
MICROCOSMICIS**

*quam*  
autoritate & indultu  
gratiosissimi Medicorum ordinis

PRÆSIDÈ  
**JOH. HADRIANO SLE-  
VOGTIO**

Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ.  
& Physico Duc. Saxon. Provinc.

*Patrono, Præceptore ac Hospite suo  
æternum venerando,*

**PRO LICENTIA**

summos in arte Medica honores & Privilegia

DOCTORALIA

more majorum legitimè impetrandi,

*publicæ eruditorum disquisitioni subjiciet*

**FRANCISCVS WILKA *Murhard***

Mühlдорff. Varisc.

in auditorio majori, horis consuetis

*ad diem X. Septembr. M DC XCVI.*

---

J E N Æ

Literis WERTHERIANIS.



V I R O  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMO QVE  
DOMINO  
WOLFG. HEINRICO

Engelmann /

JURISCONSULTO CELEBERRIMO  
ILLUSTRISSIMÆ ET CELSISSIMÆ  
DOMUI SCHOENBURGIACÆ  
A CONSILIIS

nec non

PRÆFECTO GLAUCHAVIÆ ET REM-  
MISSAVIÆ LONGE MERITISSIMO

PATRONO MEO ET AFFINI  
SUMME DEVENERANDO

Dissertationem hanc inauguralem

in monumentum  
sinceræ gratitudinis  
pro innumeris beneficiis

*consecrat*

A U T O R.







Procœmium.



Gregia sunt verba Ammanni in præfat. ad Medic. Critic. cum dicit: *Omniū diceptionum ferras, in Medicina facile nos posse effugere, si modò unicà nobis vice liceret ingredi natura laboratorium, & in illo videre ipsam v.g. chylicantem, sanguificantem &c.*

Licet enim *Architectonica* *ὄψις αἰὲς γεωμετρικῆς* in machina microcœsmica à fidis ipsius indagatoribus optimè hodiè sit detecta, in eaque maximè considerabilis humorum vitalium motus & circulatio: maximis tamen contentionibus & dubitationibus adhuc subesse videtur id, quod præcipuam Medicis in curandis morbis affundere debebat lucem & à quo primam trahit originem fabricæ humanæ integritas & sanitas; istorum nempe *humorum elaboratio, actio & motio interna*, quippe ex effectu saltem sui considerationem nobis permittentes. Veterum etenim *πύσις* & *πείσις* humorum, mediante solò calore, juxta eorum placita, peracta, omnium consensu, sunt insufficientia. Hinc recentiores, imprimis Helmontius, Willisius, Ettmüllerus &c. per *fermentationes* rem explicare conati sunt; innixi præcipuè principiis chimiæ, tanquam



optima naturæ imitatrix. Quamvis enim non desine, qui ex principiis potius *mechanicis solis*, posthabitis chemicis, tanquam fictis, uti singula naturalia phœnomena, ita & omnes in microcosmo operationes derivare satagunt: egregie tamen demonstrat illustris Wedelius, in *amœnit. medicis. p. 26. steriles hac ratione exsurgere speculationes.* Cum autem doctrina DE FERMENTATIONIBUS IN MICROCOSMO admittendis, ab his laudetur, culpetur ab illis, digna mihi visa est, ut *inauguralis speciminis* locò à me consideretur. Faxit Deus T. O. M. feliciter, huncque laborem in nominis sui gloriam proximique commodum clementer dirigat.

C A P. I.

de

Fermentationibus in genere.

§. 1.

Acturi de fermentationibus specialiter in Microcosmo contingentibus pauca de iis in genere præmitteremus, quæ ad speciales has illustrandas facere poterunt. Sepositâ autem & præsuppositâ nominali significatione, quâ *fermentatio* nihil aliud, quam *fervorem*, à causa interna profectum significat, brevitatis causâ ad realem pergimus definitionem.

§. 2. *Fermentatio est motus intestinalis lentus & sæpe turbulentius particularum heterogenearum, excitatus à substantiâ aëreo atherea, poros corporum intimè penetrante, & ab extra ambiente, fermentisque adjunctâ tendens vel ad majorem mixti perfectionem, vel insignem transmutationem.*

§. 3. *Motum intestinum, imò merè ferè naturalem probat *autoψia*, rerum nempe fermentantium in tumorem elevatio, absque additò etiam nonnunquam fermento. Licet enim*



enim in *naturales & artificiales*, certò respectu cum Willis tract. de ferment. rectè possint distingui fermentationes, levis tamen est opera, quam artifex contribuit, fermentanda solum conjungendo & decenti loco ac vasi demandando, eorum motum vel promovens vel limitans.

§. 4. *Lentum motum* diximus, ut ab *effervescencia* distinguatur, eaque tam *purè salina*, ad *sensum frigida*; in qua *salia* contraria soluta absque intermixtis *fulphureis, terreis, viscidis* particulis, subito & cum *vehementia* quadam *congre-* diuntur: quàm ista, quæ cum *incalescentia* à *salibus & corporibus terreis metallicisque*, aqua item & igne ac C. V. oritur, inque aliis id genus *ebullitionibus* observatur. Motus autem *turbulentus* in fermentatione absoluta & sui juris, nec à causa vel interna vel externa impedita vel restrictâ, facile patet, dum ea tamdiu durat, confuseque particulae agitantur, donec se invicem vel planè destruant, vel nonnullæ *dominiò* potiantur.

§. 5. Subjectum fermentationis indigitavimus *particulas heterogeneas*; per quas præcipuè intelligimus *salia* contraria soluta, *fulphureis & terreis* intermixta. Neque enim in corporibus *homogeneis & salibus contrariis* manifestis *defectibus*, v. g. aquâ simplici, motus fermentativus locum habet, & licet simplicem *intestinum omninò* admittant, nec *perfectionem* tamen aut *immutationem* adeo sensibilem, ac à fermentatione exurgere solet, patiuntur.

§. 6. Causa efficiens est *substantia aëreo-aetherea*, omnibus corporibus intimè præsens & intermixta, cum exteriori tamen ambiente communicans, unde pro hujus constitutione modò *acceleratur*, si tepido loco fermentanda reponuntur, modò *retardatur*, si frigidiori. Hinc *Helmontius calorem excitativè fermentare* rectè asserit. Talis *excitativa & promotiva* causæ titulum merentur etiam fermenta, quæ ab artifice ad accelerandas fermentationes, aut ad determinandas easdem adhibentur.



§. 7. Duplicis autem generis esse solent fermenta. Alia continent partes heterogeneas, in motu jamjam constitutas; massa igitur alii convenienti addita, particulas istius torpidiores adhuc, in consortium motus rapiunt similesque illis qualitates imprimunt: Alia per particulas quietas quidem, & ad sensum homogeneas, contrarias tamen his, quibus adduntur, motum iis juncta excitant. Priora à Willisio, l. c. dicuntur *Fermenta absoluta*, quorum exemplum fermentum panis, & fecet cerevisia præbent; Posteriora verò *respectiva*; qua ratione sal tartari fixum in tartaro crudo fermentationem excitat.

§. 8. Effectus fermentationis est *resolutio & subtilisatio concreti fermentescentis*, quam aliarum particularum unio, aliarum separatio sequitur: variatque pro diversitate ingredientium, de hoc vel illo sale magis participantium; deinde pro varietate fermenti, & majori vel minori ejusdem gradu; & denique pro intentione & limitatione artificis eam determinantis & dirigentis. Omnes tamen collimant ad finem vel *perfectiōnis vel transmutationis*. Hinc quando à B. Rossio in Chymia putredo non nisi gradu à fermentatione differre statuitur, ab illustr. Wedelio, in tr. i. de sal volat. plant. hæc *excitativa*, illa *destructiva fermentationis* dicitur.

§. 9. Ratione igitur diversorum effectuum fermentatio commode potest distingui in *Oeconomicam, Chemicam, Physicam & Microcosmicam*. Omnes tamen ex chemicis principiis, mechanicis communibus junctis, explicandæ.

§. 10. Priores duæ *artificiales* dici solent; quod pro intentione artificis vel possint *accelerari*, vel *procrastinari & limitari*. Prima circa *alimenta*, altera circa *medicamenta*, citò tutò & jucundè operantia paranda, versatur: de quibus vid. Willif. l. c. Kergerus, Cramerus, in colleg. chim. & Wedelius Disput. de fermentis chemicis.

§. 11. Physicæ fermentationes *solius nature opera* sunt, inque generatione, auctione, nutritione, in minerali, vegetabili & animali Regno conspicuis, celebrantur.



§(7)§

§. 12. Multis tamen inter has prærogativis sese commendat ea, quæ in animalibus conspicitur, quippe non à sola universalis efficiente causa dependens, sed sub dominio vitalitatis agente & limitatâ. Cum autem primario considerationis medicæ sint ea, quæ in nobilissimo viventium, *homine* nempe contingunt, ad fermentationes in illo concedendas, quas *Microcosmicas* vocare placet, considerandas me converto.

## CAP. II.

de

### Fermentationum Microcosmicarum fundamento & inchoatione in ventriculo & intestinis.

§. 1.

**F**ermentum *transmutationum parens* optimè dicitur ab Helm. Tr. imago ferment. &c. omnesque in rerum naturæ mutationes, quæ externum impetum & motorem non agnoscunt, absque dubio intestino, h. e. fermentationi tribuendæ sunt. Pèpensâ igitur insigni istâ immutatione, quam in primis statim viis subeunt alimenta, mirari subit, cur tantoperè displiceat neotericorum multis fermentationis notio huc applicanda, ut *solutionem* potius, *extractionem*, imò & *emulsionem* ipsi substituunt, operationes longè simpliciores & insufficientes, & leviores, quam hic conspicitur, texturæ immutationem inferentes; nisi cum Illustr. Wedelio in *Physiol. ref. p. 246. extractionem fermentificam* perquam commodè dicere velis.

§. 2. Videbimus nihilominus quædam ponderosiora eorum argumenta, quibus nituntur. Horum primum est; *Ex digestis alimentis nullam esse sperandam spirituum ardentium distillationem, nec in acetum conversionem, nisi in statu p. mini etc.*

§. 3.



§. 3. Verum sciant isti, his solis effectus fermentationis minimè terminari, nec *intentionem naturæ* (sunt verba Helm. Tr. vit. §. 8.) *semper esse, procreare aquam vitæ*, cum aliud in nobis fit fermentum, quo res resolvuntur in chylum, atque illud, quo dimittunt spiritum ardentem. Possè verò & ex lacte potum ardentem & vinosum parari, testatur Cramer. in Colleg. chim. c. 5. sed adhibito fermento peculiari, vinoso sc.

§. 4. Deinde ex quolibet corpore fermentato non statim prodire spiritum *Φλογιστόν*, patet ex pane, in cujus elaboratione omnes quidem fermentationem admittunt, cum tamen non nisi spiritus acidulus inde destilletur. Acetorum autem productio, uti nimiam atque iteratam liquorum, v.g. vini fermentationem postulat, ita non rarò, quamvis quodammodo p. n. in ventriculo locum habet; quando ob fermentationem diutius protractam, sive id vitio organi, sive assumptorum fiat, acidum vitiosum satis sese exerit.

§. 5. Neutiquam verò *spirituum ardentium & acetorum elaborationem adæquatam* chemicarum fermentationum effectum esse, vel solius tartari fermentati exemplum probat, qui spiritum volatilissimum alcalicum fundit; quo etiam salia volatilia vegetabilium per fermentationem parata pertinent, vid. supra laudat. Experim. de sale volat. plant. Wed.

§. 6. Alterum præcipuum argumentum illorum est; quod *facilè aliàs fermentescibilia, difficulter digerantur*, v. g. fructus horæ, mustum &c. minus verò fermentescibilia v. g. carnes, pinguedo &c. optimè. Verùm quod carnem & pinguedinem attinet, haud invita equidem concedimus, eas sibi solis relictas & extra regimen vitale stomachi in loco calido & humido commorantes, ob teneram suam texturam, & laxiorem salium volatilium cum oleosis, aquosis & terreis connexionem, promptè in putrilaginem resolvi: negamus tamen id sine omni fermentatione contingere, quam omnis putredinis initium esse certissimum est.



§. 7. Quod verò carnes in ventriculo sano nullam putredinis labem sentiant, id cum *brevitati temporis*, quod ibi transigunt, tum *calori vitali balsamico* adscribi debet, qui chylum per longos intestinerum ductus ab omni factore putrido usque ad colon tuctur, ubi demum ulterius evolutæ reliquæ salis sulphurei moleculæ naves vehementius feriunt, & proin ingratiore odore afficiunt.

§. 8. Juvat præterea etiam in hominum ventriculis insigniter fermentationem carniū ac pingvium, cum ipsis simul assumtus & ope masticationis probè permistus panis; dum mediante hujus vi fermentativa illarum particulæ nutritioni jamjam aptæ evolvuntur & specificò caractere à fermento ventriculi imbuuntur.

§. 9. Quod autem facilè vel citò nimis fermentantia incepta sint ad fermentationem vitalem, propter *crudos ipsorum succos* contingit, quibus turbas potius maximas movent quam pacatam fermentationem. Hinc iidem fructus horæi benè maturi, non tamen nimium mites, imprimis exsiccati optimè digerantur & nutriunt, adeo ut nemo nefciat rusticam gentem his sæpè solis suas exornare mensas.

§. 10. Dum autem hæcenus crebrò fermentationis vocabulò usi fuimus, nemo tam vehementem & turbulentam sibi persvadeat in microcosmo, qualis extra illum conspicitur, sed blandam, pacatam, temperatissimam, unò verbo vitalem, ab aëreo-ætherea materia in Archæo, sive principio nostro vitali, per ideas certas à prima generatione unicuique individuo impressas, specificatâ ortam.

§. 11. His præmissis definimus cum clarissimis Medicinæ Antistitibus, Wedelio atque Etmullillero, fermentationem primordiale in ventriculo, quod sit *actio principii nostri vitalis, beneficio fermenti & caloris alimenta in massam pulraceam transmutantis, ob segregationem & immutationem particularum nutritioni aptarum.*

§. 12. Differt primariò fermentatio microcosmica,  
B ejus.



ejusque initium in ventriculo ab aliis *causa efficiente nobiliori*. Licet enim omnino & hic ætheris atque æris præsentia & activitas non sit neganda, *confusè* tamen non agunt, sed *intra limites certæ circumscriptionis*, sub imperio & determinatione, *principii nostri vitalis*, quod sive *Archaum*, sive *calorem innatum* & *spiritum vitalem*, sive aliò modò vocaveris, idem erit. Cum autem superius cap. 1. dictum sit, ad fermentationem promovendam requiri *fermentum & calorem*, de his sapientissimus Creator ventriculo itidem prospexit, jam considerandis.

§. 13. Fermentum primum microcosmicum, fermentationem vitalem in assumtis inchoans, characteremque statim individualem iis imprimens est *lympha illa cum gastrica*, è *glandulis ventriculi atque œsophagi*, tum *ex oris glandulis secreta*, sensim deglutita, copiosaque *materia aëreo-æthereâ per inspirationem commistâ facta*, quæ rugis ventriculi in hærens, ibidem ob contenta salina & sulphurea, stagnandò nanciscitur majorem vim fermentativam, quod omni lymphæ corporis solenne esse solet; relictis imprimis semper particulis quibusdam, vel ad minimum miasmate quodam ex massa alimentorum ad intestina jamjam provoluta.

§. 14. Placet autem iis, qui extractionem amant, *menstrui* potius titulò insignire lympham illam glandulosam; Enimverò, nisi menstruum, fermentativâ simul vi præditum intelligatur, insufficientis est ad exhaurienda phænomena hic contingentia; partim quod menstruum, quâ tale, adeò magnam transmutationem rei extrahendæ non inferat, partim quod copiâ illi proportionatum esse debeat, quod hic non videtur.

§. 15. Fermentum igitur potiori jure dicenda erit *lympha illa, i. e. talis liquor vel substantia, que in pauca quantitate est operativa*, res quibus commiscetur in motum intestinum rapit, sal atque sulphur ipsarum explicat, inque naturam sui similem convertit, quod de extractis dici vix potest.



§. 16. Unde autem dependeat virtus ista fermentativa hujus lymphæ, porro est dispiciendum.

§. 17. Originem suam debet lymp̄ha hæc sanguini arterioso, neque diversa videtur ab ea, quæ à reliquis glandulis conglomeratis & coacervatis separatur. Hinc sponte cadit opinio, quâ fermentum ventriculi *expressè & pure acidum* nonnulli putarunt, cum tale massa sanguineæ fit inimicum, atque morbificum.

§. 18. Quod autem sub viscedine sua seu sulphureo velamine salia abscondat, negari non potest; illa autem perfecte salia seu saturata esse inde videtur impossibile, quod hæc ratione tam facilis alterationis non sit capax, quam tamen stagnando in quovis loco subit, imprimis in ventriculo, si longius procrastinetur alimentorum assumptio, ad sensibilem & majorem subinde acorem tendens.

§. 19. Videtur autem probabile lympham illam fermentativam in statu naturali juxta salia volatilia alcalia in recessu etiam sulphureo suo schemati involutum habere *sal quoddam volatile acidulum*, ventriculo admodum gratum, ejusque ratione, si proportionatum fuerit, potissimum appetitum cieri; quatenus illud in lymphâ stagnante & fermentante primò evaporat, nervosque afficit.

§. 20. Non ignota quidem est objectio, appetitum nonnunquam *aromaticis*, aliquando *salsis & alcalicis* excitari, hincque vi hypotheseos nostræ nihil obstare, quò minus & fermentum ventriculi dictas illas qualitates obtineat. Verùm cum unica quidem sit causa appetitum, cæteris paribus, excitans, blanda nimirum & vaporosa fermenti ventriculi ad nervos ejusdem & œsophagi appulsio; à permultis contra causis impediri, hincque appetitus vitiari possit: facile patet diversa quoque requiri remedia, impedimenta illa tollentia, & hinc argumentationem illam esse incongruam.

§. 21. Quippe cum fermentationum operationes tanquam *causæ essentielles in rerum transmutationibus*, secundum Helmont. tr. spir. vitæ §. 16. à priori sint indemonstrabiles,



non nisi à posteriori etiam vitii ipsorum poterimus mederi, aut talibus adhuc destituimur medicamentis, quæ universa- liter & per se talia præstare possunt. Omnium tamen prima- rii appetitus restauratores videntur *acida, potissimum aroma- tibus vigorata*; quatenus, si nulla alia adest causa vel mate- ria vitiosa, appetitum impediens, quàm privativa illius fer- menti naturalis ventriculi, hæc nervos ejus blandè afficiunt, glandulas stringunt & irritant, atque sic officii sui archæum commonefaciunt.

§. 22. Patet etiam vis illa salina acida in bulimo siye ap- petitu aucto & vitioso, ubi acor fixior atque major longè na- turali adest, per absorbentia, alcalia, terrea, ad debitam pro- portionem redigendus. Quæ si copiosiora adhibeantur, omiſſis calorem vitalem roborantibus, appetitum planè pro- sternunt.

§. 23. Quodcunque igitur aliquando p. n. augetur appetitumque ultra modum exasperat, & ex assumtis non raro copiosis acidis & acribus tale redditur, illud omnino & in statu naturali quodammodo adeste, probabile est. Licet autem tunc ad sensum sit insipidum, orificium tamen ventriculi su- perius sufficienter afficere valet, cum hanc regionem exquisi- tissimo sensu gaudere notum sit.

§. 24. Fit itidem, quod monstro simile est, aliquando, ut *enormiter aucto hoc acido, pereat nihilominus appetitus*, in sto- macho sc. balsamicò calore suo destitutò, & per consequens ad concoquendum prorsus ineptò. Unde dum copia crudæ pituitæ simul in prima culina colligitur, hæc unà cum cibo- rum malè coctorum reliquiis ibi non amplius pro *suscitando naturali edendi desiderio blandam pressuram*, sed *dolorem* potius nervis infert.

§. 25. Variat etiam acor hic in singulis ferè individuis, tum alia magis temperatum & blandum, alia magis auctum possident; qui tamen ipsis, quatenus crasi M. S. & humorum reliquorum proportionatus est, nullas molestias creat. Uti  
diver-



§ (3) §

diversitas ejusmodi in sanguineis, cholericis & melancholicis quotidie videnda occurrit.

§. 26. Alterum instrumentum requisitum est calor; ventriculo tum à sanguine arterioso & venoso, tum à visceribus circumjacentibus, nec non à cibis haud raro eorumque condimentis, suppeditatus.

§. 27. A calore hoc motus fermenti ventriculi & salivæ inter manducandum alimentis permixtæ, maximè promovetur, salia ipsorum acidula alimentorum alcalicis, alcalica volatilia acidis imprimuntur, accedente imprimis potu, vel fluidò aliò diluente, sulphur ipsorum alibile evolvitur, immutatur, cum vehiculo tam lymphatico corporis, quam potulento accessorio, itidem immutato, unitur & quicquid antea habebat virium & facultatum ex parte deponit. Unde tota alimentorum textura corruat necesse est, idque sensim & blande in sanis; cum non unius horæ, sed trium, quatuor & plurium opus sit.

§. 28. Sequitur inde statim particularum salino-sulphurearum magis solubilem & volatiliam per pylorum evaporatio, unde subito aliqualis virium post assumta alimenta refocillatio contingit, quæ vel maximè motum illum fermentativum probat.

§. 29. Reliqua massa, conjunctis intimius salinis cum oleosis & viscidis particulis, colorem albicantem nacta, succedaneâ turgescentiâ, accedente ventriculi motu constrictorio & peristaltico, sensim atque sensim per pylorum itidem promovetur.

§. 30. Nancisci hac ratione alimenta fermentata & digesta qualitatem ut plurimum *acido-salsam*, præter sensum gustus, teste Ettmüll. in fundam. Medic. p. 64. ex eo etiam probabile fit, quod paulò post alimenta solida ad potus assumptionem instigemur, cujus appetitum à salsis etiam artificialiter excitari notum est.

§. 31. Variare tamen qualitatem hanc chyli, cum ratione fermenti individualis, tum ratione assumtorum necesse est. Hinc largiorem potulentorum, vini atque cerevisiæ



ingurgitationem qui insequuntur vomitus, sunt acidissimi, imò fauces erodentes. Deinde cum in nostris provinciis frequentissima sit acidorum inter cibos assumptio, absque dubio chylus nunc ad majorem, nunc minorem inclinabit aciditatem.

§. 32. Cum verò sic preparatus cremor s. chylus, propter varias explicitas qualitates salinas crudior adhuc sit & ineptus, ut sanguini placide & absque tumultu affundi queat, continuatà opus est immutatione, saliumque explicitorum inversione, uno verbò, *novò fermentò.*

§. 33. Constituit hocce provida natura in intestino duodeno, *bilem* nempe. Hæc etenim sulphurea, amara & alcalicâ substantiâ, ab aliis abunde demonstratâ, prædita, non levem aliquam & superficialem, sed intimiorem commistionem h. e. *fermentationem* & *confermentationem* instituit; unde mirabilis mutatio & qualitatum & saporum oritur, ut sapore acido-salfo chyli pereunte, nec hic tamen, neque excrementa amaricent, sed ille dulcis, hæc ferè insipida, ex curiosorum relatione, evadant.

§. 34. Summò igitur jure *alterum locum inter fermenta microcosmica bilis sibi vindicat.* Et nemo, puto, fermentationis hic continuationem, aliter à bile determinatam, negare poterit, qui copiosos flatus, certissimos fermentationis testes, in intestinis generatos considerabit. Et utut quò copiosiores hi sint, eò etiam magis p. n. & à vitalis blandæ fermentationis lege aberrantes habendi: ex his tamen concludere licet, in statu naturali motum fermentativum blandum, in p. n. verò exorbitantem dari. Posterius in cadaveribus nonnunquam occurrit, ut bilis, cum ventriculi liquamine commista, copiosam statim spumam, subitanæ effervescentiæ testem, excitet, qualem & quidem tantam, ut intra ventriculi parietes contineri non potuerit, in cadavere maniaci observavit *celeberrimus Lipsensium Petermannus, quem Præceptorem in arte medicâ habuisse, in ære feliciora facta primo loco repono.*

§. 33. Mul-



§. 34. Multum etiam contribuete & juvare fermentationem hanc in intestinis *succum pancreaticum* amplò satis ductu in ea effusum, certum est, licet non ob aciditatem majorem & sensibiliorem, hanc enim præ alia lymphâ ipsi competere non est demonstratum; sed quatenus diluizione sua præcavet, ne in concursu illo bilis cum chylo coagulatio quædam, filtrando & separando huic inepta, contingat. Cum etiam bilis influxus in intestina sit continuus, opus etiam erat succo hoc, qui extra partum & chyli novi adventum bili sese sisteret contrarium, partim caveret, ne qualitate suâ amaricante vasa lactea ingrederetur, partim etiam intestina turgida aliquatenus asservaret.

§. 35. Temperato hõc modo chylo, & aptiore reddito, ut sanguini affundatur, reliquæ alimentorum inutiles, principiis suis activis multum privata & à vitalitate remota in crassis intestinis putredinem subeunt, quæ iterum tanquam major & extremus fermentationis terminus priores gradus prægressos arguit. Qualis putredo etiam p. n. nonnunquam in ventriculo accidit post nimiam fermentationem ciborum, v.g. in hypochondriacis, quam fetidus halitus oris indicat; vel quando, ob pylori obstructionem, diu nimis in ventriculo hospitari tenentur, quale exemplum ante laudatus D. D. Petermannus in virgine, alimenta etiam mollia per aliquot dies retinente & putrida rejiciente, observavit.

### C A P. III.

de

## Fermentationis Microcosmicæ continuacione in sanguine.

§. 1.

**D**ari adhuc, præter motum circulatorium, in sanguine intestinum quendam, omnes concedunt, ab eoque caloris

in



in microcosmo continuationem optimè deducunt. *vid. Bohu. Circul. Anatom. & Physiol. p. 33. seqq.* Unde & à Malachia Truffthon *motus caloris* dicitur; *fermentativum* vero dici posse, non æque congruum plerique putant.

§. 2. Nos verò nulli dubitamus cum Etmüllero l. 9. c. x. asserere, motum sanguinis sano sensu esse *fermentativum* illique qui in primis viis fit, rite peracto; etiam bonitate sua respondere, nisi à causa externa vel fermento peregrino impeditus fuerit; illo vero viciato, similis etiam noxa huic affricata continuetur.

§. 3. Esse tamen hunc ipsum præ illo, qui in primis viis contingit, magis adhuc temperatum, blandum & vitalem, sensibusque naturaliter minus obvium, ultrò largimur, cum hic in intimius vitalitatis consortium sint admittendi humores, qui ibi primum quasi ejusdem gradum acquirebant, à partibus excrementitiis liberabantur, amplioribusque vasis continebantur. Nihil igitur obstat, quo minus fermentativum motum retineamus, licet effectibus specialibus aliarum fermentationum non respondeat, quod plerumque opponi solet, id enim propter diversum fermentum & vitalitatis dominium impossibile est.

§. 4. Heterogeneitas quidem tanta, quanta in rebus aliis fermentantibus, & ex parte etiam in primis viis observatur, in sanguine non datur, eà enim per præcedaneas fermentationes respectivè ablata est; latens tamen, licet primo intuitu minus apparens, omnino ei competit. Continet enim adhuc salia contraria, tam ex illo ipso, quam ex urina, infallibili status M. S. salini teste, facili enchiresi per chimiam separabilia, volatilia tamen, partibus oleosis & sulphureis involuta, & ab Archæo, ne impetuosius in se invicem agere possint, aut unum alterum destruere, restricta. Neque etiam ad salia per chimiam demonstranda tam vehemens & destructivus ignis gradus requiritur, qualem Borellus Prop. 31. P. II. depingit, & ex hac ipsa ratione salia sanguinis negare intendit, quæ tamen Prop. 15. per chimiam demonstraverat: sed  
leni



leni calore secedunt, per præviam in corpore peractam fermentationem prædisposita.

§. 5. Simplicior itaque videtur & generalior motus intestinus qua talis, cum is in omnibus liquoribus quidem locum habeat, non tamen nisi in heterogenies, ubi fermentatio audit, texturæ immutationem & perfectionem producit. In sanguine igitur emergit exinde continua salium & sulphuris volatilifatio, quorumque puriores partes cum subtili æthere mixtæ spiritus constituunt; fit ad insensibilem transpirationem dispositio, calorisque vitalis continuatio, qui p. n. auctô illô motu intenditur, ablatô itidem deficit.

§. 6. Queritur jam an hic iterum peculiari opus sit fermentô sanguificatorio & chyli perfectivo, & an in corde ponendum? quæ sententia est Helm. Cartes. Holst. Bartholin. &c. & si latius sumatur fermentum, pro quovis principio alterativo & immutativo, omninô locum habet.

§. 7. Nimirum cum omnis chylus cordi sit infundendus, aliâ nutritioni minimè aptus, (neque enim ventriculum & intestina immediate chylo nutriri quispiam concedit:) probabile fit, fermentum tale feminale, vitale cordi competere, quod ultimum vitalitatis gradum chylo imprimit, ne turbulentiorum motum & facilius ad corruptionem tendentem in vasis continuet, quæ, impressô in corde & redintegratô per crebriores transitus fermentô illo specifico vitali, non sunt metuenda.

§. 8. Idem censendum est de fermentis specificis quorumvis viscerum, de quibus Helmont. Tr. sextuplex digest. alim. hum. *Notavi, inquit, quod partes singule singula obtinuerint fermenta, cum horum sit in transmutando inevitabilis necessitas.*

§. 9. Cùm enim in quolibet viscerum sanguis vel peculiarem perfectionem patiat, vel demum diverfi succi ex eo præparentur, singulaque viscera interna singulari sapore

C

gau-



gaudeant, talia ex sola mechanica pororum configuratione, prout nonnullis placet, derivare velle insufficiens videtur, cum filtra sive colatoria, qua talia, ad fluida transmittenda indifferenter se habeant.

§. 10. Quapropter viscera in transmittendis varii generis humoribus non merè passiva, sed activa maximè concipere par est, idque ratione seminalis fermenti iis competentis, id quod in hepate, renibus, testibus, utero &c. omninò locum habere potest.

§. 11. Quando quaeritur de origine talium fermentorum, ille absque dubio debetur lymphæ microcosmicæ, si quidem ulla materialitas in iis locum habere potest; illa enim varias formas & qualitates, tum ratione contentorum, tum ratione idæ in glandulis secretoriis illi impressæ, assumere apta est, ubi non negamus & structuram organicam concurrere posse. Succus autem nervosus nutritivus, qui à Guilel. Cole Tr. de secretione animali; huic negotio præesse dicitur, tanquam obscurus & nondum demonstratus, huc non quadrat.

§. 12. Si verò natura & formalis operandi ratio istorum fermentorum urgeatur, confitemur cum celeberrimis viris ignorantiam, & à tergo tantummodo eorum operationem spectamus & admiramur. Hinc Helm. Tr. cit. §. 12. optimè: *Fermenta nil habent præter aut extra se quod sibi dignè queat assimilari; cum sint dona specifica nature vitalis* §. 14. *Quoniam cum fermenta sint de classe formalium & seminalium, idè quoque se è consortio planè materialium qualitatum segregarunt.*

CAP.



C A P. IV.

de

Fermentationibus Microcosmicis  
præternaturalibus morbofis.

§. 1.

Vifa hætenus fermentationum microcosmicarum naturaliter sese habentium indole, dependente scilicet à salibus contrariis, sub justa proportione sulphureis, viscidis particulis, mixtis, ab æthere commotis & à principio nostro vitali determinatis: a veritatis tramite jam non aberrabimus, si ab his ita sese habentibus, præsuppositâ justa partium solidarum conformatione, sanitatis nostræ integritatem dependere, concludamus, ex quocunque verò modo læsis & depravatis morbos vel proximè vel remotè suam trahere originem, omnemque curationem eorum justam proportionem restituendo absolvi, hincque non incommode morbos, qui alias intemperiei titulò veniunt, vitia læsa fermentationis dici posse.

§. 2. Quemadmodum autem fermentationum illarum formalitas à priori vix est perscrutabilis, ita multò minus earum vitia à priori explicabilia sunt, sed tantummodo ex effectu & alterationibus corpori inductis demum patent, aut secundum *Hippocrat.* ex saporibus eorumque facultatibus & potentiis determinanda veniunt. Hinc plures morbos, qui in ipsa quasi herba feliciter suffocari & curari potuissent, propter latentia ipsorum semina & incrementa, tum demum, quum fructus & effectus satis funestos nonnunquam edunt, curationemque aut plane respuunt, aut certe difficilem reddunt, aggredi nobis licet.

§. 3. Sufficiat autem nobis, cum ad majorem perfectionem aspirare non liceat, firmis demonstrationibus à posteriori,

C 2

ri,



ri, effectu nempe tum morborum, tum medicamentorum defumtis, probare posse, hoc vel illud fermentationis microcosmicæ vitium subesse, proque hujus diversitate, diversa remedia requiri.

§ 4. Cum autem videamus, cum chronicorum morborum mineram atque fomitem in primis viis latitare, tum acutorum principia non raro ibidem cudi: operæ pretium erit fermentationum in iisdem peractarum aberrationes primo loco considerare.

§ 5. Prout autem earundem ibi peracta legalitas primario *Archæo* est adscribenda; sic & degeneratio ab eodem vel debilitato vel impedito erit derivanda. Sicut enim sanis omnia sunt sana & vigori *Archæi* parent: ita contrarium iis accidit, qui calorem vitalem vel à prima usque generatione debiliorem obtinent, vel ex nimis studiis, senio, inordinata diæta &c. illum labefactatum possident.

6. 6. Videre ibi licet fermentationes contingentes, vitalitatis dominiò debilitato, blandum *ὀργασμὸν* renuere, & motum, extra microcosinum fieri solitum, affectare. Patet id quàm maximè in mortuis nonnullis, in quibus, si adfuerint adhuc humores sufficientes, iidem, sui juris facti, tumores ingentes & ruptiones non raro inferunt.

§ 7. Ex vitio fermentorum, ejus nimirum quod in ventriculo est & bilis, varix quoque resultant depravationes fermentationis, dum scilicet illud, quod temperatè salino-sulphureum & acidulum in recessu esse debebat, aut aciditate nimia fixa deturpatum est, aut falsedine manifesta, plus minus acris, gaudet, hincque iisdem qualitibus præditus chylus & sanguis, si bilis præterea sit inertior, progeneratur. Hac vero itidem fortiori, alcalica & fermentativa existente, fermentatio depravata per totam intestinorum arundinem continuatur, chylusque falsus & acris in M. S. intrat. Largissimus hinc profectus morborum & symptomatum exurgit, nimirum chronicorum & acutorum, febrilium, scorbuticorum, hypo-



hypochondriacorum, exanthematicorum, phthificorum, asthriticorum, convulsivorum &c.

§. 8. Nec minora mala exurgunt *ex inertia vel defectu fermenti ventriculi*, dum exin vel imminuitur vel aboletur fermentatio debita alimentorum; quando scilicet illud vel planè non gaudet qualitate sua debita salino-sulphurea, vel sub nimia aquositate aut visciditate absconditam tenet, ut præ illis alimenta attingere atque destruere non possit; hinc vel plane non vel semidigesta excernuntur, aut putredinem in ventriculo subeunt, cruditates nidorosas gignunt, inappetentiam, tumores œdematosos, obstructions, maciemque.

§. 9. Vitiatur porro etiam fermentatio primordialis microcosmi *ab assumtis*. Quamvis enim, calore vitali & fermento benè se habentibus, quicumque cibi ab eorundem vigore facile superentur, continuatò tamen usu omnino noxam inferre valent. Cùm enim temperata hic celebretur fermentatio, temperata etiam alimenta huc quadrant, eamque conservant & contra.

§. 10. Nocent proinde 1. *Nimiam & cito fermentescibilia* 2. *Egrè aut planè non fermentescientia*. Illa, quatenus nimias turbas, distensiones, tormina, flatu, convulsiones &c. inferunt: hæc, quatenus propter nimium vel duram vel viscidam, acidam fixamque substantiam orgasmo fermentativo concipiendo inepta sunt.

§. 11. Pertinent huc nuclei, putamina & membrana fructuum, item panis viscidus, parum vel non fermentatus. Nec minora tamen incommoda ex ipso nimis fermentato & copiosius ingurgitato, ut & ex cerevisia vetustiore acida, exurgunt. Eadem scilicet ac alias à nimis acidis provenire solent, dum sic quidem alimenta à nimio acore dissolvuntur, ob sal vero hoc excessivum non rite volatilifantur, unde cacochymici & cachectici habitus insequantur necesse est.

§. 12. Per accidens tandem optimam fermentationem,



in primis viis peractam, varios morbos sequi posse, testatur obefitas nimia & plethora, ab alimentis laudabilibus copiosis, vitaque otiosa & absque curis peracta, dependens. Nimirum, dum replentur nimium vasa, tardior humoribus motus conceditur, qui promptos comites, cacochymiam & alios morbos, ex nimia quiete orientes, producit. *Ad summum enim progressi habitus, in deterius ruant necesse est*, secundum Hippocr. aph. 3. S. 1.

§. 13. Fermentatio sanguinis, præter alias causas, à variis chyli vitiis, in primis viis contractis, *imminuitur & depravatur*, prout & superius dictum est. *Imminuitur* accedente chylo, particulis volatilibus mobilibus destituto, aut acido vitioso, fermentationi inepto, sigillato, unde non probè unitur cum partibus coccineis, sed confusè circulator, easque plus minus coagulat. *Depravatur* à chylo falso, acri, aliaque indecenti qualitate prædito.

§. 14. Maximè omnium conspicua fit fermentatio M. S. depravate aucta in febribus universalibus & particularibus, quas absq; fermentationis & effervescentiæ ope explicare nemo commode poterit. Hinc & Sennertus, qui per putredinem equidem veterum explicaturus febrium doctrinam, subinde tamen ebullitionis, effervescentiæ & fermentationis mentionem facere cogitur. Rectissimè igitur Kergerus. de ferment. S. 3. c. 3. *Frustra, inquit, laborant, qui paroxysmorum recursus aliis, quam fermentationi, causis adscribunt.*

§. 15. Febres autem sæpissimè ex primis viis & lymphæ reflua, in glandulis peregrinam qualitatem adeptâ, originem trahere, nemo est, qui negat. Videtur autem id præstare fermentum inæquale, inproportionatum, h. e. nimiam heterogeneitatem, salibus scilicet contrariis excedentibus & sulphureis particulis, nec debita proportione commistis, nec blandè commotis, præditum, quod sanguini in corde commistum, non potest non motum ejus cum circulare, tum intestinum maximè confundere & turbare. Helmontio Tr. de febb. tale fer-



fermentum audit *scoria seu stercus liquidum ex intestinis à ventis attractum*; & nihil est aliud, quàm chylus ab aeido plus minus fixo corruptus, aut propter bilis inertiam cum salibus volatilibus M. S. immediatè congredivens, aut cum bile confusè mixtus, acido-amaricantem nactus qualitatem.

§. 16. Acidum tale, cum partibus alcalicis, biliosis effervescentem, in febribus maximè operativum esse, testatur *urina aegrotantium intensè tincta, quam tincturam acida illi affusa semper intendere, alcalia verò remissionem reddere, pluribus experimentis testatur Etmüll. in Pathol. p. 55. seqq.*

§. 17. Motore tali peregrino vel semel, vel per vices sanguini illato, motumque ejus sistente, semper fere primum oritur horror & frigus, à sanguine magis concentrato, spiculis tamen suis salinis peregrinis genus nervosum premente & constringente. Unde vasa disparent, colorque in toto corpore mutatur, donec aetheris contenti motu salia contraria in sanguine compresso eluctentur, in se invicem, propter debilitatum vitale robur, confusè & impotuosè agant, particulas sulphureas biliosas nimis actuent & rarefaciant, ebullitionem, effervescentiam & peregrinam fermentationem inducant, indeque vasorum rursus turgescentiam & calorem intensum inferant, usque dum deservuerit fermenti illati vehementia, saliaque contraria se invicem destruxerint, ubi magis naturalis redire videtur fermentatio.

§. 18. Quæ vero sit genuina ratio, cur tam præcisè nonnunquam horam certam in recurso servant paroxysmi intermittentium, ita ut palmam non raro accuratissimo horologio præripiant, inter obscuriora adhuc & minus evidentia vel detecta referendum puto. Absque dubio tamen majori vel minori fermenti illius febrilis mobilitati vel fixitati adscribendus erit citior vel tardior paroxysmorum recursus, quod & Sennertus l. c. c. 17. innuit, *ubi pro ratione fermenti sive miasmatis citius vel tardius humores, paroxysmi causâ, efferverescere inquit.* Hinc non rarò observatur, multiplicari febriles accessus,



cessus, post acria, aromatica, & facile fermentantia &c. inter-  
pestive adhibita.

§. 19. In febribus continuis & ardentibus, ubi quasi *domesticum & immanens* est fermentum, secundum porism. 1. Wedel. ad Aph. 43. §. 4. Hippocr. non desinit ex toto motus ille salium contrariorum in M. S. donec aut natura vel sola vel medicamentis adjuta, aut fermentatio peregrina vicerit, & ad corruptionem usque continuata fuerit. Sic in malignis febribus & peste adeo invertitur sanguinis status & mixtura, ut tandem mucopotius, quam sanguini similis videatur, teste D. D. Petermanno.

§. 20. Oriuntur tamen & sæpe febres absque ullo fermento turbativo, vel ex primis viis, vel ab extra sanguini illato. Sic in quocunque loco stagnans & extravasatus sanguis febrilem causam suppeditare potest. Imo quis nescit, apparenter optime constitutos & athletici habitus homines à solo animi pathemate in febres ardentissimas incidere; Erysipelas à solo plerumque terrore vel ira generatur; Subitanea itidem refrigeratio corporis nimium æstuantis, sanguinis stagnationem febremque producit, ubi nemo sibi illatum, tam subito fermentum concipere poterit. Sed impedita sanguinis vitali circulatione, aut ex animi commotione exasperata, salia contraria magis in sese irruunt & expanso nimis sulphure p. n. ardorem producunt. Qualem etiam aër calidior æstivus producere aptus est, accedentibus forte etiam spirituosis nimis assumtis.

§. 21. *Ab extra* fermenta peregrina M. Sæ inferuntur mediante aëre, vel particulis fermentativis, tempore vernali & autumnali, ex terra aut paludibus putridis exhalantibus, foeto, vel miasmata maligna, ex corporibus morbofis provenientia, continente. Vocantur vulgo hæc posteriora *contagia*, quæ optimò jure fermenta etiam dici possent, cum in humoribus, quos intrant, eandem dispositionem excitent, ac in illis fuerat, ex quibus excesserunt. Sic eadem tantum



non semper patiuntur symptomata miasmate pestilentiali infecti, ac ii, qui priores eam contraxerunt.

§. 22. Fermenta talia salino sulphurea contagiosa sunt vel *magis volatilia*, ex quibus plerumque morbi maligni, breves & acuti v. g. febres exanthematicæ, pestis &c. oriuntur; vel *fixa magis*, & per propinquiorem contactum subjectorum operativa, morbosque longos & chronicos, v. g. scorbutum, luem veneream &c. progignunt.

C A P. V.

de,

Methodo curandi fermentationes  
p. n. Microcosmi.

§. 1.

**R**estant adhuc curationes deviantium fermentationum in microcosmo considerandæ, quæ vel à natura sola, vel à *fidis ipsius ministris, medicis adjuta*, instituuntur, dum nimirum vel nimix limitantur, vel imminuta restituntur, & itidem fermentationis ope absolvuntur. Veteres *coctionis materiae morbificæ* vocabulo utebantur; qui, si fermentationum causas atque operationes notas habuissent, forte ab hoc termino non abstinuissent.

§. 2. Naturam nonnunquam solam, tanquam præfidem atque directricem fermentationum naturalium in humoribus nostris, sufficientem esse, ut causas occasionales morbosas, peregrinas fermentationes inferentes, præcipitando, & quacunque via ipsi placet, exturbando, convenientem suis legibus motum restituat, testantur tum ii, qui absque ullius medicamenti usu successive convalescunt, tum qui fortiori animi pathemate excitato, collectis sic spiritibus & conjunctis viribus, à morbis & febribus satis magnis liberantur, ut proinde si unquam, certe in *febris natura* ab

D

Hip-



Hippocrate rectissime *morborum medicatrix* vocetur, applaudente ipso Helmontio, Tr. de febb. C. XVII. §. 8.

§. 3. Cum vero sapissime natura ita sit debilitata, ut sola causis occasionalibus morboris averruncandis non sufficiat, medicamentorum ope id tentandum, & quidem vel *universali* quodam, vel *particulari* presidio. Prius imprimis urget Helmont. Tr. ortus imag. morbos. v. 13. *Incaustum*, inquit, *laborat plerumque, quicumque destitutus arcano universali, non pasato prius Archaes, averruncandis causis occasionalibus operam locat suam.* Particularibus autem pugnamus subsidiis, ubi exorbitantibus in humorum motu depravato particulis salinis & sulphureis, contrarias opponimus; vel deficientibus nonnullis, alias subministramus; vel per consueta naturæ emunctoria evacuamus, quicquid naturæ molestiam creare solet. In qua medendi methodo Sylvii praxis maximè versatur.

§. 4. Utramque curandi rationem breviter complectitur Helmontius, quando in Tr. Potestas medicaminum, §. 4. ita loquitur: *Summa sanatio omnium morborum contingit vel per sedationem Archaes & ablationem seminalis & morfi characteris, ab eo producti; vel per ablationem causarum occasionalium & producti morbofi.*

§. 5. Prior ille modus, ex philosophia ipsius peculiari profectus, qua omnes morbos ex Idea peregrina in Archaes percepta derivat, hincque medicamenta requirit *idealiter, sui radio vel aspectu velut specula lucida operantia archaemque corrigentia*, vid. Tr. in verbis herbis & lapid. &c. *passim*; tanquam theoria nimis ardua & obscura & propter remediorum ipsius, sulphurum nempe metallicorum fixorum defectum, vix est imitabilis. Penitus tamen absurdam non esse, liquet, quod juxta mentem illustr. Wedel. in amoenit. Medic. cap. de cordialib. fixiora metallica medicamenta v. g. cinnabarina aurum &c. *irradiatione & serenatione quadam spirituum operativa, optime concipi possint.*

§. 6. Sul-



§. 6. Sufficiat igitur, si tali ratione magistros naturæ præbere nos non possumus, prudentes saltem ministros dici posse. Quare curationum nostrarum methodus in eo versatur, ut, quas secundo loco ponit Helmontius, causas morborum occasionales earumque producta removeamus, idque secundum ipsius ductum *removendo noxium & addendo defectuosum*. Ubi tamen iterum ratione prioris, quod mediantibus salibus contingere ait, requirit *saleem quendam summum atque felicissimum, qui ultimam puritatis metam in natura attigit, cuncta pervadit, solusque agendo manet immutabilis, quæque alia pro lubitu prompta resolvit obedientia, rebellemque omnem materiam non secus, atque aqua calida nivem, liquat atque volatilizat.*

§. 7. Deficiente autem iterum ejusmodi sale purissimo & perfectissimo, quodque propter temporis longitudinem & sumptuum ad illum requisitorum gravitatem (si quidem vera hæc Helmontii tradita sunt) non omnibus parare talem licet: nihil jam restat, quam ut additis similibus & contrariis, tum causam principalem, tum instrumenta salino-sulphurea, tanquam principia hæcenus detecta, in justa proportione & motu conservemus.

§. 8. Si enim peccat spiritus sive calor vitalis, præcipuus ille fermentationum microcosmicarum præses, defectu, debilitate, concentratione aut dissipatione nimia, quocunque in morbo id fiat, illum restitimus, aut vices ejus quadantenus implemus volatilibus salibus, oleosis, nervinis, balsamicis, aromaticis; quibus roboratus sponte rursus officio fungitur.

§. 9. Fermentationes depravatas in sanguine, & primis viis, a fermentis horum dependentes, ex quibus propter salium alterutrum excedens vel deficiens, sulphurisque defectum vel improporionatam mixtionem, vitiosi sapores nascuntur, corrigimus per contraria, vel generalia vel specifica, & morbis certis multivariâ experientiâ appropriata reperta medicamenta.



§. 10. Ita e. gr. salia eminentia & fermentationis motum impediencia, siue intemperiem veteribus melancholicam dictam, emendamus per addita contraria alcalica volatilia, fixa, terrea, oleosa, martialia, cum balsamicis & roborantibus combinata. Salia vero volatilia, oleosa, biliosa alcalica, acria, in intemperie & morbis cholericis, juxta veterum doctrinam, non tantum additis salibus acidis, nitrosis, duplicatis, sed & terreis & absorbentibus compescimus, aqueisque viscidis diluimus ac temperamus. Quod si per utrorumque inertiam & conjunctam visciditatem nimiam, indeque impeditam particularum sulphurearum rarefactionem intemperies veterum phlegmatica praesto est, tunc per resolutiva salina, gummosa, aromatica, amara; sublatâ viscedine, rursus liberior particulis salino-sulphureis actio permittitur.

§. 11. Maximæ in primis operationis in singulis ferè fermentationis depravationibus videmus salia, vel penitus vel plus minusque saturata, tam volatilia, quam fixa, v. g. Liq. C.C. succinat. Tinct. corall. c. spir. cord. cerv. Liqueores perl. ocul. cancr. corall. Panac. Holfatic. Tartar. vitriolat. Nitr. vitriolat. Terra foliat. tartar. arcan. tartar. &c. quæ medicamenta, tanquam minus in primis viis alterabilia, pro more aliorum, integris magis viribus sanguinem accedunt, latentia atque torpida salia rursus excitant, vel discordiam & effervescentiam nimiam contrariorum salium, inventu suo, sopiunt, hincque præ reliquis magis universalia sunt.

§. 12. Per appropriata & specifica remedia tolluntur specifici saporis peregrini, in quibus qualitas humorum & in primis sanguinis & feri salso-dulcis per depravatas fermentationes & peregrina fermenta varie vitiatur. Sic e. g. cortex chin. chin. specifica virtute febribus intermittentibus & in primis tertianis & quartanis medetur: scorbutum frigidum plantæ antiscorbuticæ, v. g. nasturtium, cochlearia, &c. expugnant; martialia hypochondriacorum & aliorum morbo-  
rum



§(19)§

rum chronicorum, sacra anchora esse solent, mercurialia venerorum.

§. 13. Peregrinis etiam & venenosis fermentis, five in corpore genitis, five per contagia illatis corrigendis bezoardica varia, pro fermentorum scilicet varietate conferunt. Denique fermentis quibuscunque nunc cum, nunc sine precedanea correctione è corpore eliminandis, sudorifera, diuretica, purgantia aliaque evacuantia adhiberi solent.

§. 14. Cum igitur tali medendi methodo, non nova & obscura, sed omnibus ferè nostro tempore familiari, sedulo studeamus, ut in qualitatum salino-sulphurearum debita miscela conferentur humores corporis, aut ad eandem, si peccant, reducantur, quidnam aliud agimus, quam quod in blando intestino fermentativo motu retineamus contenta microcosmi, quamdiu scilicet vitalis aura, tanquam primaria curationum nostrarum reatrix & determinatrix, à Summo Archiatro fragilibus corporibus inesse, conceditur. Hinc ipsi etiam negantes fermentationes hæc, studiose tamen in praxi iisdem subvenire coguntur.

§. 15. Fateor equidem materiæ hujus dignitatem & nobilitatem ampliorem requirere tractationem, verum cum propositi ratio dicere plura vetet, sufficiant mediatiuncula hæc, quas pro ingenii modulo pagellis hæc includere, eruditorumque judicio atque censuræ subijcere volumus.

S. D. G.

D 3

Doctri-



(o)

**D**octrina & virtus bene fermentata triumphat,  
quod medica & multum qualibet arte valet.  
Virtutem comitatur honos, doctrina propagat,  
vnde Tibi venient præmia plura breui.

*Honoris meritissimi, affectus sinceri  
& gratulationis fausta  
ergo scrib.*

**Georgius Wolfgangus Wedelius,**  
h. t. Academiæ Rector.

**D**ogmata fermenti doctè jam tradis, amice,  
Quæve ferant nostris commoda corporibus.

Perdoctos ausus noster jam vidit Apollo,  
Summaque pro studiis præmia, dixit, erunt.

*Hæc in honorem  
Nobilissimi Domini Doctorandi  
gratulabundus adpos.*

**Rudolfus Wilhelmus Crausius, D.**  
Prof. Publ.

**P**œoniam scandens cathedram Murharde,  
paternas  
in Te virtutes non periisse probas.  
Corporis exquirens vivi penetralia, monstras,  
quid ros vitalis, quid calor intus agant.

Ap-



¶ (o) ¶  
Applaudo coeptis! meritos quoque grator ho-  
nores,  
quas Tibi mox facili tradet Apollo manu.

*in honorem  
nobilissimi atque clarissimi  
Domini Doctorandi  
scrib.*

P R A E S E S.

---

Quid Fermenta sient, quid Fermentatio praestet,  
Et Physicum & Medicum noscere sapè juvat.  
Mirantur meritò Sal, Sulphur, Mercuriumque:  
Miramur dotes, quas Microcosmus habet.  
Res dubia est multis, Fermenta subire Metalla;  
De Microcosmo autem certior usque fuit.  
Et Fixum praeter datur atque Volatile; quicquam  
Porrò, (haud Enixum,) quod Sophus Arte parat.  
Sextuplex Docti illius Digestio Belgæ,  
Cujusvis Docti haud omnia puncta tulit.  
JEN A suos habet Hippocrates, habet atque Galenos,  
Doctrinà claros Ingeniòque Viros:  
Clariùs hi monstrant ea Dogmata Fermentorum,  
Et quid in humano corpore semper agent.  
Fermentis nostris adsit Benedictio JOVÆ,  
Archæus sine qua nil agere ipse potest.  
Et Studiis, Domine Affinis, Benedictio JOVÆ  
Atque tuæ Praxi praestò sit, oro, precor!

*Hæc in honorem Dn. Affinis sui summos  
in Medicina honores capessenti  
adjungebat*

Johannes Thomæ, S. G. R.

Hora-



Hic MURUS AHENEUS esto:  
Nil conficere sibi, nulla pallescere culpa.

Sonnet.


**S**o kan man Mauerhart und Felsenfeste stehen/  
Wenn uns kein Fehler-Schmutz in dem Gewissen schreckt;  
So ist man iederzeit dem Gegner aufgeweckt/  
Im fall uns keine Schuld als Träumer lässet gehen.  
Diß kan zwar ins gemein bey jedem Kampf geschehen/  
Wo den V. strittenen kein Wandel-Tand besleckt;  
Doch/ da Herr Mauerhart sich ins Kampf-Catheder steckt  
Ist unser Spruch / als wahr/ im Kampf- Gespräch zu sehen:  
Weil Er in selbigem sich Mauerhart verhält /  
Nicht eines Fingers breit dem Gegner einzuräumen.  
Und kan sein steiffer Muth aus diesem Grunde läumen:  
Was sein Veruff erhiesch hat er mit Fleiß bestellt.  
Drum/ wähnt Er/ wird sich Gott in mein Beginnen mischen.  
Ihn müsse fernerhin des Himmels-Tau erfrischen!

Mit diesem wenzgen solten ihre Schuldigkeit  
bey dem Hn. Doctorando abstaten  
Dessen


Sämbel. Tischgesellschaft.






















01 A 6507

ULB Halle

3


002 937 859




1017











2. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS  
*des*  
**FERMENTATIONIBUS**  
**MICROCOSMICIS**

*quam*  
auctoritate & indultu  
gratiosissimi Medicorum ordinis  
PRÆSIDE  
**JOH. HADRIANO SLE-**  
**VOGTIO**

Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ.  
& Physico Duc. Saxon. Provinc.

*Patrono, Præceptore ac Hospite suo*  
*æternum venerando,*

**PRO LICENTIA**  
summos in arte Medica honores & Privilegia  
DOCTORALIA

more majorum legitimè impetrandi,  
*publica eruditorum disquisitioni subjiciet*  
**FRANCISCVS WILKA Muehard**

Mühlдорff. Varisc.  
in auditorio majori, horis consuetis  
*ad diem X. Septembr. M DC XCVI.*

---

**F E N Æ**  
Literis WERTHERIANIS.